

1524. ię 19. Augę

207

Andreas Critius, Petro Tomicki.

Reverendissime in Christo pater et domi-
ne, domine benefactor gratiosissime. Venit
hesterno die dominus castelanus Lubli-
nensis ab imperatore exercitus, refert ex
responso palatini Moldavia Thassulan-
cis Danubium esse, et gentes circum
se in campis nostris congregare, ac o-
mnino ad nos irrumperere debere. Quapro-
pter censuit dominus palatinus pro ipso
imperatore mittendum, quod non esse illi
videtur, cui gentes que hic congregantur
committi possint, nemo est autem, qui
cum illo absque maiestate regia profi-
cisci velit, et proinde cogemur fortasse
omnes in campum progredi.

Ego ad quid huc venerim nescio, ne-
que enim aliquibus sum satis ex senten-
tia. Quod, non admodum curo, neque enim
parvitatem meam, cum illorum amplitudine
et existimatione, commutaverim.

Militis vestre reverendissime domina-
tionis, eundem apud illos favorem, quem ego,
experientur, non permittitur illis hoc, quod
permittitur aliis, calumniis variis afficiun-
tur, de quibus se purgare coguntur assi-
duę. Non dubito si ita cum illis agatur,
et inhonestos apparituros cum opus fuer-
it, et in persolvendis damnis, damnum

ingens

ingens reverendissima dominationi vestrae futurum.

Non potui obtinere ut tempestive statueretur, quid de duce Masovia, et rusticis movendis sit agendum. In utroque adhuc deliberatur, et proinde nihil etiam certi vestre reverendissima dominationi scribere possum, cui mitto copiam responsi Moldavici superbi quidem, sed ad ignaviam nostram appositi. Et commendo illi ex animo causam huius juvenis, meque unam et servitatem meam perpetuam, faciatque dominus Deus, ut illam cito videre possim sospitem et felicem. Sandominiae diei: ma nona Augusti, anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo quarto.

B. Copiam responsi Moldavici vide sub eadem data.